HOMINES ET RES QUO STUDIO OBSERVAVERIT ET QUAM SINCERE DESCRIPSERIT OVIDIUS EX AMATORIIS EJUS CARMINIBUS QUAERITUR.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM

PROPONEBAT

Léon DAUTREMER

INSULIS

APUD BIBLIOPOLAS LE BIGOT FRATRES

25, VIA DICTA NICOLAS-LEBLANC, 25

—

MDCCCC

HOMINES ET RES QUO STUDIO OBSERVAVERIT ET QUAM SINCERE DESCRIPSERIT OVIDIUS EX AMATORIIS EJUS CARMINIBUS QUAERITUR.

HOMINES ET RES QUO STUDIO OBSERVAVERIT ET QUAM SINCERE DESCRIPSERIT OVIDIUS EX AMATORIIS EJUS CARMINIBUS QUAERITUR.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM

PROPONEBAT

Léon DAUTREMER

INSULIS

APUD BIBLIOPOLAS LE BIGOT FRATRES

25, VIA DICTA NICOLAS-LEBLANC, 25

—

MDCCCC

PROOEMIUM [1]

Propositum habeo ut quidquid mihi visum est in Ovidii amatoriis carminibus non a priorum poetarum imitatione [2], neque a rhetorum praeceptis pendere, sed ad veri effigiem describi, id summa cura, quantum in me erit, excerpam et in lucem proferam ; ita ut poetam hominum circa ipsum agentium et rerum ipsius oculis subjectarum diligentem observatorem et descriptorem fuisse, quae mea opinio est, demonstrem.

Postquam Ovidium diu pertractavi, mihi luce clarius apparuit in eo duas fuisse ingenii venas, alteram factam ex iis quae legerat aut apud rhetores in scholis didicerat et ex iis quae apud alios poetas, vel graecos vel romanos, quos imitatus est, invenerat ; alteram autem genuinam quam vivendo et homines resque observando aluit. Itaque, cum memoria et doctrina, tum etiam natura et observatione multum valuit. Plus habent memoriae et doctrinae *Heroides, Fasti* et *Metamorphoseon* libri, plus autem naturae et

[1] Editiones quibus usus sum hae sunt : *P. Ovidius Naso*, ex Rudolphi Merkelii recognitione edidit R. Ehwald. Tom. I. Lipsiae, B. G. Teubner, 1897.

C. Valeri Catulli carmina ; Bernhardt Schmidt recognovit ; Lipsiae, B. Tauchnitz, 1887.

Albii Tibulli elegiae ; ed. Ed. Hiller ; Lipsiae, B. Tauchnitz, 1885.

Sex. Propertii elegiarum libri IV ; recensuit Aemilius Baehrens, Lipsiae, B. G. Teubner, 1880.

[2] De Ovidio poetarum romanorum imitatore copiose et intellegenter disseruit A. R. Zingerle : *Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern*, 3 Theile in 1 Bande, Innsbruck, 1869-1871.

Cf. J. A. Washhietl, *De similitudinibus imaginibusque Ovidianis*. Wien, 1883.

observationis *Amores*, *Ars Amatoria*, *Remedia Amoris*, *Tristia* et *Epistulae ex Ponto*.

Forsitan a me petas cur Ovidii carmina amatoria tantum attigerim. Nempe nolui hanc dissertationem longius protendere ; quod certe fecissem, si me omnibus Ovidii operibus applicavissem. Igitur ex illis operibus aliquid eligere debui, quod tractarem. Cur autem carmina amatoria potissimum elegerim breviter dicam.

Cum mihi in animo esset quaerere quomodo Ovidius homines et res observaverit et descripserit, nihil mihi aptius visum est ad meum propositum exsequendum quam carmina amatoria diligenter scrutari, cum ea sint veritatis et observationis ceteris Ovidii carminibus multo pleniora. Sed jam opportunum videtur summatim dicere quis fructus ex singulis illis carminibus, quod ad meum consilium spectat, capi possit.

Amores. — Si Ottoni Ribbeck [1] credendum est, scholam tantum et rhetoricam redolent Ovidii *Amores*. Docti quidem viri judicium non plane probo. Etenim in *Amoribus* et rhetoricam et locos communes et imitationes inveniri posse non negaverim [2] ; ceterum contendo multa in eis ex observatione et cotidiano vitae usu adhibita fuisse. Nam si Ovidius, ex adulescentia vixdum egressus quo tempore *Amores* scribebat, memoriae suae et doctrinae admodum recenti, ut fieri solet, inserviebat, attamen non ex libris solum amavit ; et, ut erat amoris jam non rudis, non ex libris solum, sed ex animo suo

[1] O. Ribbeck, *Geschichte der römischen Dichtung*, Stuttgart, 1889. T. II, p. 229... er mehr nach Büchern als nach dem Leben geschildert hat ; p. 232... so hat man den Eindruck einer nahezu vollständigen Sammlung erotischer Gemeinplätze, einer Encyclopädie oder Palästra des Amor, etc...

[2] De hac re profuit legere G. Kaibel : *Philodemi Gadarensis epigrammata*. Ind. Sch. Greiswald, 1885. Quo in opere Ovidium a Philodemo non nihil pendere demonstratur.

quae jam expertus erat sincere et dilucide versibus expressit.

Heroides. — In *Heroidibus* non multa certe reperi quibus mea opinio inniteretur. Quae tamen non erunt mihi neglegendae. Nam, si pauca habent e vita et observatione proprie expressa, cum ex graecis exemplaribus assidue versatis haustae sint, in iis saltem animadverti potest lectioni non nihil addidisse observationem, ita ut non jam in illo opere Heroidas tales agnoscas quales graeci poetae pinxerint, sed feminas illis pares et similes quas Ovidius cotidie Romae videre soleret [1].

Ars Amatoria. — *Artem Amatoriam* mihi magnam rerum ad meum propositum pertinentium copiam allaturam esse eo suspicari licet, quod illud opus, ut ipse Ovidius affirmat, « usu moveatur » :

> Usus opus movet hoc : vati parete perito ;
> Vera canam.
>
> *A. Am.* I, 29.

Vera igitur in illo opere quae sunt investigabo. Nimirum illic poeta contraxit quidquid per vitae suae jam grande spatium (erat enim tum unum et quadraginta annos natus) de amore et apud alios homines observaverat et ipse per se expertus erat. Id autem eo acutiore ingenio fecit quod ejus animus non jam juvenili libidinum ardore laborabat [2].

Remedia Amoris. — Hoc opus, quod fieri potest ut

[1] De ea re pauca dixit M. Pieri : *Quaestiones ad P. Ovidii Nasonis epistulas Heroidum*, Massiliae, 1895. Cf. in primis p. 26-27.

[2] Cf. A Reichart : *Die sittliche Lebensanschauung des P. Ovidius Naso*, Postdam, 1867 ; p. 12 : Man bedenke dass Ovid zur Zeit der Herausgabe des Liebeskunst in 41 Lebensjahr stand, und mit seiner dritten Frau die glücklichste Ehe führte ; längst war er aus der persönlichen Beziehung zu den in diesem Werke geschilderten Kreisen getreten, und hielt bei seiner Arbeit nur den gesichtspunckt des Künstlers und Moralisten fest.

minoris momenti esse existimes, si ejus brevitatem consideraveris, a me plurimi aestimari fateor. Etenim non veri simile est quam sit rebus et sententiis refertum e vitae usu sumptis. Quid sit in amore malum et ridiculum ironice, ut Ovidium decet, ibi monstratur. Itaque haud scio an opusculum illud, quod intra octingentos versus continetur, sapidius et locupletius ceteris Ovidii libris merito judicetur.

Medicamina faciei. — Fragmentum perquam breve, cui titulus est *Medicamina faciei* paucissima tantum mihi suppeditavit.

Restat ut dicam quo ordine hanc dissertationem explicaverim.

Cum in omnibus illis Ovidii carminibus primum locum obtineant feminae, incipiam ab eis. Primum igitur de feminis, tum de rebus quae ad feminarum vitam pertinent, postea de amatoribus, denique de ipso amore disseram.

I

DE FEMINIS

Quae sint Ovidianae feminae. — Primum inquirendum est quod feminarum genus Ovidius in amatoriis carminibus depinxerit.

In illis carminibus plerumque agitur de libertinis, graeca natione oriundis, quae neque meretrices sunt neque nuptae. Attamen de meretricibus et de nuptis nonnulla Ovidius scripsit, quae jam nunc breviter exponam.

De meretricibus. — De feminis quae proprie meretrices dicuntur pauca invenio.

In *Amorum* libro I, x, 21 sqq. dominam suam poeta objurgat quod pejor sit meretrice, cum sponte sua faciat quae illa facit coacta :

Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere,
  Et miseras jusso corpore quaerit opes.
Devovet imperium tamen haec lenonis avari,
  Et quod vos facitis sponte, coacta facit.

Alio loco in meretricum artes invehitur, quas sacrilegas vocat :

Non mihi sacrilegas meretricum ut persequar artes
  Cum totidem linguis sint satis ora decem.

A. Am. I, 435.

Igitur parum curat Ovidius de feminis quae meretrices proprie dicuntur, quas contemnit ut mercabiles.

De nuptis et de matrimonio. — Non dubitandum est quin Ovidio non semel in *Amoribus* res sit cum nuptis. Vocabulo « vir » videtur interdum designari maritus, exempli gratia :

Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem.

Am. I, iii, 1, sqq.

Quanquam fieri potest ut illic « viro » significetur amator. Est tamen ubi de nupta sine dubio quaestio sit, cum poeta verbis « uxor » et « maritus » utatur :

Ille potest vacuo furari litore arenas,
  Uxorem stulti si quis amare potest.

Am. II, xix, 45.

Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito ?

Id. ibid. 57.

. . . . . in me timet illa maritum.

Am. III, viii, 63.

De matrimonio autem quid sentiat Ovidius videamus.

Novimus eum uxores tres habuisse, quarum duas repudiavit (cf. *Trist.* IV, x, 69 sqq.). Quanquam cum tertia conjunctissime vixit, tamen suspicari licet eum plurima in matrimonio incommoda pertulisse. Non igitur mirum est si de matrimonio et de uxoribus paululum maledixerit.

Lites inter maritos et uxores saepe fieri contendit :

Lite fugent nuptaeque viros, nuptasque mariti,
  Inque vicem credant res sibi semper agi.
Hoc decet uxores ; dos est uxoria lites.

A. Am. II, 153.

Talia cum scriberet, quae sibi ipsi acciderant, ut opinor,

recordabatur. Cur autem uxores a maritis parum amentur, causam aperit :

Hoc est uxores quod non patiatur amari :
Conveniunt illas, cum voluere, viri.
A. Am. III, 585.

Decere etiam ait uxores a maritis custodiri, ironice, ut puto :

Nupta virum timeat ; rata sit custodia nuptae.
Hoc decet, hoc leges jusque pudorque jubent.
A. Am. III, 613.

In summa, non immerito animadvertit O. Ribbeck Ovidium de matrimonio eadem sentire quae Menander in comoediis[1]. Nos autem addemus uxores male audire apud Ovidium, non solum quod Menandrum ille secutus sit, sed etiam quod suarum ipse uxorum meminerit.

De vocabulo « puella ». — Attamen vere dici potest Ovidium pro nihilo habere qualis sit feminarum de quibus agat conditio. Qualescumque illae sunt, sive innuptae, sive nuptae, eas designare solet uno eodemque vocabulo « puella ». Quo vocabulo latine ab eo exprimitur quod gallice dicere solemus « jeune femme. »

Ut exemplis utar, Helenam, Menelai uxorem, puellam nuncupat :

Quid nisi consilio est usa puella tuo?
A. Am. II, 368.

Penelopen quoque, jam tum Ulixis uxorem, puellam tamen appellat :

Certe ego quae fueram, te discedente, puella,
Protinus ut venias, facta videbor anus.
Her. I, 115.

[1] O. Ribbeck, *Gesch. der röm. Dicht.* T. II, p. 264 : Die Ehe gilt ihm wie der Menandrischen Komödie als ein Zustand philisterhafter Langweiligkeit.

Ceterum hujus verbi talis significatio non in Ovidio tantum invenitur. Etenim apud Horatium hoc lego :

...... vos o pueri et puellae
Jam virum expertae.

Hor. *Carm.* III, xiv, 10.

et apud Propertium :

Hic (Romae) genus infidum nuptarum ; hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

Prop. III, xiii, 23.

Hoc animadverso, nunc quibus coloribus illas puellas depinxerit Ovidius consideremus. Primum quae ad corporis habitum pertinent, deinde quae ad indolem et mores scrutabimur.

De puellarum corporis habitu. – Quid pulchri sit in feminei corporis lineamentis, absque voluptatis consideratione, parum curavit Ovidius. Fieri poterit ut mihi vix consentias, si hos versus leges :

Ut stetit ante oculos posito velamine nostros,
In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos umeros, quales vidi tetigique lacertos !
Forma papillarum quam fuit apta premi !
Quam castigato planus sub pectore venter !
Quantum et quale latus ! quam juvenale femur !

Am. I, v, 17, sqq.

Sed, si totum hujus elegiae contextum consideraveris, protinus animadvertes illos versus cupidinis vehementiam multo magis quam formae corporis meram admirationem spirare. Et illa etiam cupidinis vehementia forsitan parum sincera sit, siquidem, ut Georgius Kaibel affirmat (quod, fateor, veri simile est), « hunc locum ad Philodemi exemplum Ovidius instituit » [1].

[1] G. Kaibel, *Philod. Gad. epigr.*, p. XVII.

Femineum corpus eo modo quo amator, non quo pingendi vel fingendi artifex amat, Ovidius amavit. Id autem inde patet quod opusculum de medicaminibus faciei composuit, quo declaratur ab eo magni aestimari fucata illa corporis ornamenta quae genuinam et naturalem pulchritudinem corrumpunt, ideoque ab artificibus contemni solent.

Quanquam pauca de corpore femineo apud Ovidium exstant, tamen ei longioris staturae puellas placuisse ex his versibus manifestum est :

Longa decensque fuit ; longa decensque manet.

Am. III, III, 8.

Tu quia tam longa es, veteres heroidas aequas.

Am. II, IV, 33.

De vultu femineo. — Communia esse et e medio sumpta primum videntur quae de puellarum vultu Ovidius edidit. Scilicet nullum verbum invenias quo unius inter ceteras dilectae puellae vultus designari videatur. Omnium autem plerumque describuntur vultus, ut fieri apud multos poetas solet, candido simul et roseo colore distincti, exempli gratia :

Candida candorem roseo suffusa rubore.

Am. III, III, 5.

Verba *alba ora, ora rubore picta, purpureus pudor* et alia similia legenti saepe occurrunt. Quae sunt sane publici juris.

At contra quam sincerum et vivum sonant versus, in quibus de risu agitur ! Nempe e vivo expressam esse quis neget eximiam hanc ridentis puellae effigiem :

Sint modici rictus, parvaeque utrimque lacunae,
Et summos dentes ima labella tegant.

A. Am. III, 283.

Ovidius enim plane intellexit quantum ad puellarum pulchritudinem valeret ridendi ratio. Hos tantum versus lege, quibus vix usquam reperias facetiarum et delicati salis pleniores :

Nec sua perpetuo contendant ilia risu,
Sed leve nescio quid femineumque sonet !
Est quae perverso distorqueat ora cachinno ;
Cum risu quassa est altera, flere putes.
Illa sonat raucum atque inamabile ; ridet
Ut rudit a scabra turpis asella mola.

A. Am. III, 285 sqq.

Ut risu fieri modo formosus, modo turpis vultus potest, ita ira et superbia semper corrumpitur :

Vos quoque si media speculum spectetis in ira,
Cognoscat faciem vix satis ulla suam ;
Nec minus in vultu damnosa superbia vestro.
Comibus est oculis alliciendus amor.

A. Am. III, 507 sqq.

Oculis, aut potius « ocellis, » ut plerumque scribit, adjunxit Ovidius quaedam epitheta sane vivida et digna quae hic laudentur :

. . . . . . *limis* subrisit ocellis.

Am. III, I, 33.

Risit, et *argutis* quiddam promisit ocellis.

Am. III, II, 83.

Argutos habuit : radiant ut sidus ocelli.

Am. III, III, 9.

Mollibus est oculis.

Rem. Am. 340.

Puellae quae amat vultui nescio quid mite et tenerum addi solet. Quod cum acute observavisset Ovidius, elegiae

Musam describens, eam feliciter dixit *vultum amantis* habere. (*Am.* III, I, 9).

Denique ne omittamus versus quibus Ovidius puellas docere voluit quo medicamine uti deberent ad vultum suum nitidiorem et leviorem faciendum; non quia magni pretii sunt, sed quia per eos compertum habemus qua cura poeta ad minimas res sese applicaverit :

Scitis et inducta candorem quaerere creta.
  Sanguine quae vero non rubet, arte rubet.
Arte supercilii confinia nuda repletis,
  Parvaque sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favilla,
  Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.
A. Am. III, 199, sqq.

Illa autem medicamina quam turpia et nauseosa esse possint alio loco vivide et facete monstravit. Quod fit si amator in thalamum ex improviso penetraverit, cum puella in conlinendo ora sua illis medicaminibus occupatur :

Tum quoque, compositis cum conlinit ora venenis,
  Ad dominae vultus (nec pudor obstet!) eas :
Pyxidas invenies et rerum mille colores,
  Et fluere in tepidos oesypa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas;
  Non semel hinc stomacho nausea facta meo est.
Rem. Am. 351, sqq.

Quapropter illa accuratissime a puella celanda sunt, si placere ei cordi est :

Non tamen expositas mensa deprendat amator
  Pyxidas : ars faciem dissimulata juvat.
Quem non offendat toto faex inlita vultu,
  Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?

Oesypa quid redolent, quamvis mittatur Athenis
  Demptus ab immundo vellere sucus ovis ?
Nec coram mixtas cervae sumpsisse medullas
  Nec coram dentes defricuisse probem.
Ista dabunt formam, sed erunt deformia visu,
  Multaque dum fiunt turpia, facta placent.

A. Am. III, 209 sqq.

Ut de vultu concludamus, Ovidium dicemus quaedam attulisse satis trita et communia, nonnulla tamen, in primis cum de vultus lineamentis in animi affectibus exprimendis tractat, et bene observavisse et convenienter descripsisse.

De coma et de capillorum ornatu. — De còma et de capillorum ornatu multi exstant apud Ovidium versus quos neglegere opportunum est. Hos dico quos paene innumerabiles apud omnes latinos poetas reperias, et qui pertinent ad capillos vel propter luctum demissos, vel propter dolorem et iram laniatos. In quibus nihil est proprie Ovidianum.

Attamen non eum fugit quantum posset ad puellarum formam illustrandam capillorum ornatus, quippe qui de variis ponendae comae rationibus fusius scripserit :

Longa probat facies capitis discrimina puri :
  Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summa nodum sibi fronte relinqui,
  Ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines umero jactentur utroque :
  Talis es adsumpta, Phoebe canore, lyra.
Altera succinctae religetur more Dianae,
  Ut solet attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos ;
  Illa sit adstrictis impedienda comis.

Hanc placet ornari testudine Cyllenea;
Sustineat similes fluctibus illa sinus.
Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes,
Nec quot apes Hyblae, nec quot in Alpe ferae,
Nec mihi tot positus numero compendere fas est.
Adjicit ornatus proxima quaeque dies.

A. Am. III, 137-152.

His profecto versibus perspicere licet quam assidue Ovidius in fabulis versetur, cum, de capillorum ornatu scribens, in suam memoriam revocet aut heroidas, ut Laodamiam, aut deos ut Phoebum et Dianam. Illa vero nomina commemorando, res cotidie a se observatas, sed quae humiliorem ad fingenda carmina materiem suppeditarent tantum insignire cupiebat. Res autem et fabulas ingeniose miscere, hoc est vere Ovidianum.

Sed versus supra laudatos brevi commentario explicare in rem erit.

Ovidius octo comam ornandi rationes enumerat. Ut autem recte intellegamus quales sint, monumenta graeca vel romana oportet inspiciamus [1].

Noli mirari nos graecis monumentis uti ad ea explananda quae romana sunt. Nempe Ovidius ipse, ut suos versus illustraret, similitudinibus usus est quas ex graecorum artificum operibus assumpsit, cum Laodamiae, Apollinis, Dianae ornatum describeret. Deinde ex Graecorum consuetudine et moribus Romam advectis evenit ut capillorum ornatus apud Romanos antea simplex multo magis varius et exquisitus Augusti temporibus

[1] Monumenta ad nostrum consilium apta invenimus in libris qui sequuntur : Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des Antiquités*, article *Coma*. — L. Heuzey, *Les figurines antiques de terre cuite du musée du Louvre*, Paris, 1883. — M. Collignon, *Histoire de la Sculpture Grecque*, 2 vol., Paris, 1892-1897. — S. Reinach, *Répertoire de la statuaire grecque et romaine*, 2 tomes en 3 vol. Paris, 1897-1898.

fieret. Denique graecae sunt pleraeque feminae quarum ad usum et oblectamentum carmina amatoria Ovidius composuit.

Nunc ad ipsos Ovidii versus veniamus.

1° Longa probat facies capitis discrimina puri ;
Sic erat ornatis Laodamia comis.

Cui facies longa est, ei expedit comam sine ullo capitis ornamento (caput purum) in duas partes discrimine, id est linea medios capillos scindente, dividi. Talem autem ornatum, qui virgines et puellas pudicas decet, multa monumenta praebent. Inter quae vide nonnullas Tanagraeas figuras (Heuzey, *fig., ant.* pl. 25, pl. 32), Amazonas (Reinach, *Rép.* I, p. 486, fig. 2, 3, 4 ; p. 487, fig. 1, 3), Venerem quoque illam Meliam (Collignon, *Sculpt. gr.*, II, p. 472). Talis fuit sine dubio Romae matronarum ornatus, ut apparet ex feminea figura quae Porcia appellatur (*Dict. d. Ant.*, art. *Coma*, fig. 1847).

2° Exiguum summa nodum sibi fronte relinqui,
Ut pateant aures, ora rotunda volunt.

Qualis sit ille comae habitus haud difficile est intellegere. Verum non multa inveni monumenta in quibus illum adspicere possis. Nodus quidem in fronte non rarus est, sed is est plerumque ut descriptioni Ovidianae minime respondeat.

Haud infrequens est nodus in fronte in Apollinis simulacris. Vide Apollinem dictum « du Belvédère » (Collignon, *Sculpt. gr.*, II, p. 317, fig. 161), et eodem in libro duo insignia Apollinis capita (*id. ibid.*, p. 456 et 457, fig. 237 et 238). Nodum quoque in fronte habent omnes Veneris statuae quae delineatae sunt apud Reinach, *Rép.* I, p. 174. Pueri quoque et genii capillorum nodum in fronte praeferre solent (cf. Reinach, *Rép.* I, p. 439).

Confer etiam figuram quamdam Cyrenaicam apud Heuzey, *fig. ant.*, pl. 45, fig. 2. Sed omnium illorum capitum aures aut totae aut aliqua ex parte crinibus operiuntur. Patere autem aures videntur in statua Veneris Oxionensi quae est apud Reinach, *Rép.* I, p. 348, fig. 4. Sed ante omnes cum versibus Ovidii congruit quaedam figura quae invenitur apud Dar. et Sagl. *D. d. A.* art. *Coma*, fig. 1824. In qua capilli summa fronte in nodum formantur ; os autem rotundum est, et aures totae patent.

3° Alterius crines umero jactentur utroque :
Talis es adsumpta, Phoebe canore, lyra.

Nobis Ovidius ipse declarat quibus monumentis hi versus illustrari possint. Igitur Apollinis citharoedi simulacra consideremus. Quae non sunt rara. Plura scilicet invenimus delineata apud Reinach, *Rép.* I, p. 254. Vide etiam Collignon, *Sculpt. gr.*, I, p. 666 et 667, fig. 350 et 351. Hanc comam ornandi rationem praebent et Veneris quaedam statuae (Reinach, *Rép.* I, p. 173, fig. 8 ; p. 174, fig. 8), et Musarum (Reinach, *Rép.* I, p. 178, fig, 6, 7, 8 ; p. 179, fig. 8).

4° Altera succinctae religetur more Dianae,
Ut solet attonitas cum petit illa feras.

Dianae succinctae et venationi paratae imagines vulgo notae sunt. Ante alias celeberrima est Diana illa quae dicitur Versaliensis, cujus coma in posteriore capite religatur (cf. Reinach, *Rép.* I, p. 143, fig. 4, 5, 6). Cui comparari possunt nonnulla alia ejusdem deae simulacra ; (Reinach, *Rép.* II, p. 311, fig. 1, 3 ; p. 312, fig. 1, 2, 3).

5° Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos.

Ejus ornandi comam rationis qua laxe, id est sine nodis et impedimentis capilli effusi jacent ita ut sint inflati, id est nullo modo compressi, specimina in monu-

mentis non multa esse mihi visa sunt. Attamen vide cujusdam pueri effigiem (*D. d. A.* art. *Coma*, fig. 1848), quae unum refert ex illis elegantibus servis quibus uti Romae mos fuit eo jam tempore quo Ovidius vivebat. Hujus capilli laxe jacent, et tenui tantum vitta retinentur. Nonnulla vero graeca monumenta afferre licet in quibus feminarum capita illo ornatu quem Ovidius memorat commendantur. Sic enim dispositi sunt Demetros capilli in illo Eleusinio monumento quod videas apud Collignon, *Sculpt. gr.*, II, p. 141, fig. 68 ; quocum conferre tibi licebit duas figuras apud Heuzey, *fig. ant.*, pl. 18, fig. 4 ; pl. 18[bis], fig. 2. Sed nulla alia imagine melius illustrari posse Ovidii versum puto quam femineo illo capite ex marmore quod Collignon, *Sculpt. gr.*, II, p. 455, fig. 236, attulit. Denique mentionem faciam puellae victricis quae est apud Reinach, *Rép.* I, p. 527, fig. 6.

6° Illa sit adstrictis impedienda comis.

Capillis laxe jacentibus adstrictae, id est nodis et vinculis impeditae comae ab Ovidio opponuntur. Non unica autem est hujus ornatus species. Plures enim rationes sunt quibus crines adstringi et impediri possint, ut manifestum est ex monumentis : (cf. *D. d. A.* art. *Coma*, fig. 1858 à 1865). Illa autem monumenta romanarum Augustarum effigies praebent. Ex quo conjicere licet talem comae ornatum Romae sub principibus magno in honore fuisse. Non tamen credendum est illum a graecis feminis contemptum fuisse. Nam graecas feminas plurimum artificii in crinibus sic ornandis contulisse ex pluribus monumentis etiam apparet : (cf *D. d. A.* art. *Coma*, fig. 1827 à 1832).

7° Hanc placet ornari testudine Cyllenea.

Qualis sit ille ornatus ambigitur. Sunt qui existiment

comarum positum quemdam in formam testudinis concinnatum hoc versu significari. Sic censet Georgius in suo lexico [1]. Sed mihi videtur « ornari testudine » non posse ita explanari. Malim conjicere de ornamento crinibus infixo, et lyram vel testudinis ipsum dorsum imitante. Nullum vero inveni monumentum quo sive haec, sive illa opinio confirmaretur.

8° Sustineat similes fluctibus illa sinus.

Hujus versus sensum nemo est qui non plane intellegat. Crines undantes ita ut sinuosos fluctus imitentur cum in graecis, tum in romanis monumentis videre licet. Et hic quidem capillorum ornatus antiquus est, cum inveniatur in veteribus simulacris quae Athenis, in Arce reperta sunt : (cf. Collignon, *Sculpt. gr.*, I, p. 356, pl. VI). Sed inutile est antiquitatem et graeca monumenta scrutari. Tres enim figuras romanas videre poteris apud Dar. et Sagl. *D. d. A.* art. *Coma*, fig. 1857, 1866, 1867, quae tibi hujus ornatus insignia exempla praebebunt.

Nunc, postquam Ovidii versus satis, ut opinor, explicavi, coeptum iter pergere instituam.

Puellas male crinitas lepide irridet Ovidius narrando quid ipse aliquando viderit :

Dictus eram subito cuidam venisse puellae ;
  Turbida perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam foedi causa pudoris,
  Inque nurus Parthas dedecus illud eat !
Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
  Et sine fronde frutex et sine crine caput.

A. Am. III, 245 sqq.

[1] K. E. Georges : *Lat.-Deutsches Handwörterbuch.* art. *testudo* : eine der Cithara ähnliche Haarfrisur.

De arte comam tingendi, aut capillorum damna supplendi, quaedam scripsit Ovidius. Et id quidem satis ironice fecit, ut est ejus ingenium. Etenim puellam irridet cujus capilli propter nimiam eos tingendi curam tandem perierunt :

Dicebam « medicare tuos desiste capillos ! »
Tingere quam possis nunc tibi nulla coma est.

Am. I, XIV, 1.

Jam oportebit illa crines emat e Germania missos :

Nunc tibi captivos mittet Germania crines.

Id. ibid. 45.

Nec crines solum, sed etiam herbae ad canitiem inficiendam a Germania petebantur :

Femina canitiem Germanis inficit herbis,
Et melior vero quaeritur arte color.

A. Am. III, 163.

Venire autem crines Romae ad aedes Herculis ex his versibus novimus :

Femina procedit densissima crinibus emptis
Proque suis alios efficit aere suos.
Nec pudor est emisse ; palam venire videmus
Herculis ante oculos virgineumque chorum.

Id. ibid. 165 sqq.

Si jam ad capillorum colorem venimus, difficile est dicere quem potissimum colorem Ovidius magni aestimaverit, cum dicat :

Candida me capiet, capiet me flava puella,
Est etiam in fusco grata colore Venus.
Seu pendent nivea pulli cervice capilli,
Leda fuit nigra conspicienda coma.
Seu flavent, placuit croceis Aurora capillis.

Am. II, IV, 39 sqq.

Delectatur quoque his capillis qui neque atri sunt, neque aurei :

Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus ille,
Sed, quamvis neuter, mixtus uterque color.
Qualem clivosae madidis in vallibus Idae
Ardua derepto cortice cedrus habet.

Am. I, XIV, 9 sqq.

Elegans quidem et minime trita similitudo, quae unde venerit nescio, quae saltem apud ceteros latinos poetas nusquam inventa est [1].

Omitto adjectivorum turbam quae capillis conjunguntur, et quae communia sunt, ut *longi*, *inculti*, *diffusi*, *demissi*, multaque alia hujus modi.

De puellarum vestitu. — Quanquam Ovidius puellas vult esse quam cultissimas, tamen ab eis exposcit ut modum in vestitu servent, neve nimium caris vestibus induantur :

Vos quoque non caris aures onerate lapillis
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.
Nec prodite graves insuto vestibus auro!
Per quas nos petitis, saepe fugatis, opes.
Munditiis capimur.

A. Am. III, 129 sqq.

Nempe rectum et sanum illi erat judicium, elegantiaeque justa aestimatio. Neque etiam pretiosis ornamentis delectatur, ut sunt quae vocat « segmenta » purpura et auro intexta, quae femineis vestibus applicabantur; nec Tyrio murice magno sumptu tincta vestimenta laudat :

Quid de veste loquar? nec nunc segmenta requiro,
Nec quae de Tyrio murice lana rubes.

[1] Cf. J. A. Washhiell, *De similitudinibus imaginibusque Ovidianis*, p. 171.

Cum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor est census corpore ferre suos?
A. Am. III, 169 sqq.

Ceterum colores, dummodo pretio leviore sint, non parvi facit, cum contra ad eos per similitudines definiendos plures eosdemque ingeniosos versus composuerit :

Aeris ecce color, tum cum sine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas ;
Ecce tibi similis, quae quondam Phrixon et Hellen
Diceris Inois eripuisse dolis ;
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis [1] :
Crediderim nymphas hac ego veste tegi ;
Ille crocum simulat (croceo velatur amictu
Roscida luciferos cum dea jungit equos) ;
Hic Paphias myrtos, hic purpureas amethystos,
Albentesve rosas, Threïciamve gruem ;
Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala desunt,
Et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas pigraque fugit hiems,
Lana tot aut plures sucos bibit. Elige certos!
Nam non conveniens omnibus omnis erit.
A. Am. III, 173 sqq.

De femineo incessu et gestu. — Nonnullis locis Ovidius testatur se puellarum incessum et gestum intellegenter observavisse ; et eos ad amorem virorum excitandum plurimum pollere haud immerito affirmat :

Discite femineo corpora ferre gradu.
Est et in incessu pars non contempta decoris ;
Allicit ignotos ille fugatque viros.
A. Am. III, 298 sqq.

[1] Cf. Lucretium, *De Nat. Rer.* IV, 1119 : thalassina vestis.

Non nescit et lepide dicit quantum differre possint inter se mulieres incedendo :

Haec movet arte latus tunicisque fluentibus auras
Accipit, extensos fertque superba pedes.
Illa velut conjux Umbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.
Sed sit, ut in multis, modus hic quoque ; rusticus [alter
Motus, concesso mollior alter erit.

A. Am. 301 sqq.

Quanquam ultimo illo versu molliorem in incessu motum, ut est justo et eleganti judicio, exprobrat, aliquam tamen mollitiem alio loco commendat, seque capi puella molliter incedente declarat :

Molliter incedit ; motu capit...

Am. II, IV, 23.

et, paulo infra :

Illa placet gestu numerosaque bracchia ducit
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

Id. ibid. 29.

Novissimi illi versus, ut vides, ad gestum et ad saltationem spectant. Nimirum saltatio Ovidio placet, puellasque hortatur ut illius artis peritae sint. Itaque eis exemplo saltatrices proponit quae in scenis spectantur, quasque felicibus, ut opinor, verbis « artifices lateris » nominat :

Quis dubitet quin scire velim saltare puellam,
Ut moveat posito bracchia jussa mero ?
Artifices lateris, scenae spectacula, amantur :
Tantum mobilitas illa decoris habet !

A. Am. III, 349 sqq.

Quibus cum versibus conferre licet hos qui sequuntur :

Si vox est, canta ; si mollia bracchia, salta.

A. Am. I, 595.

Brachia saltantis, vocem mirare canentis.

A. Am. II, 305.

Enervant animos citharae lotosque lyraeque,
Et vox et numeris bracchia mota suis.

Rem. Am. 763.

Nec saltando tantum, sed etiam edendo gestus decor quaerendus est :

Carpe cibos digitis; est quiddam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perungue manu.

A. Am. III, 755.

Nemo quidem cum Ovidio non consentire velit, cum profecto nauseam provocet spectaculum mulierum nimis ineleganter comedentium.

Denique silentio praetermittere nolim quam jucunde poeta habilem puellae gestum notaverit, quae, priusquam tabellas signet, ore umido annuli gemmam tangit, ne cerae adhaereat; fingitur annulus loquens :

Idem ego, ut arcanas possim signare tabellas,
Neve tenax ceram siccaque gemma trahat,
Umida formosae tangam prius ora puellae.

Am. II, xv, 15 sqq.

De quo gestu Ovidius quicquam scribere profecto omisisset, si vel minimarum rerum, in quibus aliquid formosi sit, diligentem observatorem sese non praebuisset.

De puellarum cultu. — De puellarum cultu facete Ovidius sic loquitur :

Auferimur cultu : gemmis auroque teguntur
Omnia ; pars minima est ipsa puella sui.

Rem. Am. 343.

Illas enim puellas cujus habitum non finxit, sed ex cotidiana observatione descripsit, cultissimas esse vidit.

Multis autem locis apud eum vocabulum « cultus » invenies, sive substantivum est, sive adjectivum ; unde tibi clare apparebit cultam puellam ei ante omnes placere. Neque Ovidius hoc scribere voluisset quod scripsit Propertius :

Uni si qua placet, culta puella sat est,

Prop. I, II, 26.

cum contra Virtutem ipsam cultam esse declaret :

Ipsa quoque et cultu est et nomine femina Virtus.

A. Am. III. 23.

Nempe Ovidius solus inter romanos scriptores vitae cultum omnibus rebus anteposuit. At enim nonne et culti fuerunt et cultum amaverunt et Catullus, et Tibullus, et Propertius et Horatius ? Ita sane. Sed nullus ex his ita cultu delectatus est ut priscos illos Romanos ut incultos irrideret, et respueret. Quod fecit Ovidius, et quidem irreverenter.

Nulla re autem magis liquet Ovidium multa ad scribendum mediis ex rebus sumpsisse quam quod suae aetatis fuerit amantissimus. Illo aetatis suae amore libros suos, ut ita dicam, illevit. Audi tantum quibus quamque sinceris laudibus recentia tempora extollat :

Prisca juvent alios, ego me nunc denique natum
  Gratulor : haec aetas moribus apta meis ;
Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,
  Lectaque diverso littore concha venit,
Nec quia decrescunt effosso marmore montes,
  Nec quia caeruleae mole fugantur aquae ;
Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
  Rusticitas priscis illa superstes avis.

A. Am. III, 121 sqq.

Quibus cum versibus licet illos comparare qui in opusculo de medicaminibus faciei inveniuntur :

Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae
  Maluerint quam se rura paterna coli,
Cum matrona, premens altum rubicunda sedile,
  Adsiduo durum pollice nebat opus,
Ipsaque claudebat, quos filia paverat, agnos,
  Ipsa dabat virgas caesaque ligna foco.
At vestrae matres teneras peperere puellas.

Medic. fac. 11 sqq.

In *Amorum* autem libro I, VIII, 39, Sabinae non antiquae solum, sed immundae dictae erant :

Forsitan immundae Tatio regnante Sabinae
  Noluerint habiles pluribus esse viris.

De puellarum moribus. — Non forma solum, sed etiam moribus sibi amorem conciliare debent puellae :

Moribus et forma conciliandus amor.

Her. VI, 94.

Ut « forma », corporis, ita « moribus », animi habitus significatur. Quemadmodum corpora, sic puellarum animos cultu commendari optat Ovidius. Eas rogat ut rusticitatem in primis deponant et vitent. Rusticitatem enim pessimum omnium malorum in puellis esse non semel affirmavit.

Sed nobis primum liceat quaedam de ratione dicere qua Ovidius vocabulis « rusticus, rusticitas » utitur ; quod plurimum proderit ad ingenium ejus recte aestimandum.

De vocabulis « rusticitas, rusticus » apud Ovidium. — Illa vocabula quater et vicies in Amatoriis Carminibus (exceptis his epistulis quae in editione ex R. Mer-

kelii recognitione a R. Ehwald edita poetis Ovidianis jure tribuuntur) adhibita inveni. Undevicies autem Ovidius eis utitur ut rusticitatem pro vitio habere se significet. Quidquid ei videtur asperum aut incultum esse « rusticum » vocat :

Ludunt formosae : casta est quam nemo rogavit ;
Aut, si *rusticitas* non vetat, ipsa rogat.
Am. I, viii, 43.

Sive procax aliqua est, capior, quia *rustica* non est.
Am. II, iv, 13.

Est quae Callimachi prae nostris *rustica* dicat
Carmina. *Am.* II, iv, 19.

Et mihi jucundo non *rustica* cognita furto.
Am. II, viii, 3.

Rustica sit sine me lascivi mater amoris.
Am. III, i, 43.

Rusticus est nimium quem laedit adultera conjux.
Am. III, iv, 37.

Quid mecum, furiose, tibi ? quid mutua differs
Gaudia ? quid coeptum, *rustice,* rumpis iter ?
Am. III, vi, 87.

Nec tamen est (Ceres), quamvis agros amet illa feraces,
Rustica, nec viduum pectus amoris habet.
Am. III, x, 17.

Forsitan et narres quam sit tibi *rustica* conjux.
Her. I, 77.

Si Venerem tollas, *rustica* silva tua est.
Her. IIII, 102.

Ista vetus pietas, aevo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.
Her. IIII, 131.

. . . . . fuge, *rustice*, longe
Hinc pudor !

A. Am. I, 607.

Hei mihi ! *rusticitas*; non pudor ille fuit !

A. Am. I, 672.

Quid faciat (Helene)? vir abest, et adest non *rusticus* hospes.

A. Am. II, 369.

Nec Venus oranti (neque enim dea mollior ulla est)
Rustica Gradivo difficilisque fuit.

A. Am. II, 565.

Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
Rusticitas priscis illa superstes avis.

A. Am. III, 127.

. . . . . . *rusticus* alter
Motus ; concesso mollior alter erit.

A. Am. III, 305.

Et poterit dici petulans quae *rustica* non est,
Et poterit dici *rustica* si qua proba est.

Rem. Am. 329.

Loca autem, in quibus vocabula « rusticus, ruricola » sensum solitum praebent haec sunt : *Am* II, xvi, 35 ; *Am.* III, ii, 53 ; *A. Am.* II, 184 ; *A. Am.* II, 264 ; *Rem. Am.* 189.

Si vero Tibulli carmina perlegeris, animadvertes illum poetam verbo « rusticus » nunquam contemptim uti. (In ejus carminibus illud verbum novies inveni, scilicet : I, i, 8 et 23 ; I, iv, 7 ; I, ix, 8 ; I, x, 51 ; II, i, 21 et 52 ; II, ii, 14 ; II, iii, 4). Et tamen cultus erat Tibullus, cum eum ipse Ovidius bis vocet « culte Tibulle, » (*Am.* I, xv, 28 ; *id.* ix, 66). Quod confirmatur notissima Horatii ad Tibullum epistula (Hor. *Ep.* I, 4). Sed, quamvis cultus, Tibullus non fuit, sicut Ovidius, Urbis

in primis, etiam unice amator, et multum afuit ut rus et ruricolas contemneret.

In Propertii libro duobus tantum locis vocabulum « rusticus » mihi occurrit (Prop. II, v, 25 ; IV, i, 12). Quorum prior pejorem sensum praebet quo Ovidius uti solet :

> *Rusticus* haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
> Cujus non hederae circuiere caput.

His animadversis, nonne mihi concludere licet Ovidium rerum rusticarum fastidiosiorem ideoque Urbis et urbanarum elegantiarum avidiorem sese praestitisse quam Tibullum et ipsum Propertium ? Itaque eo majoris puellas aestimavit quo magis rusticitatis expertes erant. Sic denique certius constat id quod jam supra dixi, Ovidium primum et solum, credo, inter latinos scriptores rusticos illos mores quibus Romani semper gloriati sunt, quibusque ipse Propertius laudem quae videtur sincera esse tribuit (Cf. Prop. IV, i) non solum dedignatum esse, sed etiam infamavisse.

Num re vera de puellarum moribus Ovidius curaverit. — Nunc ad puellarum mores revertamur. Sed primum videndum est num re vera de moribus nec de corporibus solum Ovidius curaverit.

Minime corpus animo praeposuit poeta qui in *Remediis Amoris* amatorem sic increpat :

> Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes,
> Arida nec sitiens ora levabis aqua :
> Ut valeas animo quicquam tolerare negabis ?
> At pretium pars haec corpore majus habet.
> *Rem. Am.* 229 sqq.

Igitur puellas admonere non dubitat ut animo suo

consulant, et id quidem facit (quod sane mirum est) initio opusculi quod inscribitur *Medicamina faciei.*

Prima sit in vobis morum tutela, puellae !
  Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum est : formam populabitur aetas,
  Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit quo vos speculum vidisse pigebit,
  Et veniet rugis altera causa dolor.
Sufficit et longum probitas perdurat in aevum,
  Perque suos annos hinc bene pendet amor.

Medic. fac. 43 sqq.

Digni sane admiratione versus, et gravitatis pleni ; quos qui hoc loco invenit fere stupet. Eorum sènsum, si non verba, poeta in *Arte Amatoria* repetivit, cum non jam puellas sed viros interpellaret ;

Ut dominam teneas, nec te mirere relictum,
  Ingenii dotes corporis adde bonis.
. . . .
Et tibi jam venient cani, formose, capilli;
  Jam venient rugae, quae tibi corpus arent,
Jam molire animum qui duret, et adstrue formae :
  Solus ad extremas permanet ille rogos.

A. Am. II, 111 sqq.

Quorum versuum quem italicis litteris scriptum volui plane eximium esse non, opinor, erit ut neges.

Quid autem sibi volunt graviores illi de moribus versus? Nempe significant aliquid serii inesse libris ab Ovidio de amore scriptis, neque illos pro mero joco haberi debere.

Etenim non potuit non intellegere quantum valerent mores ut amor sincerus fieret et longum in tempus duraret. Puellae vero quibuscum ei res fuit non eae

erant quae multum de morum probitate curarent. Eas contra plerumque esse avaras et fallaces expertus est, ut ex his versibus manifesto patet :

Saepe refer tecum sceleratae facta puellae
Et pone ante oculos omnia damna tuos :
« Illud et illud habet, nec ea contenta rapina est;
Sub titulum nostros misit avara Lares.
Sic mihi juravit, sic me jurata fefellit,
Ante suas quotiens passa jacere fores !
Diligit ipsa alios, a me fastidit amari :
Institor, heu ! noctes quas mihi non dat habet. »
Rem. Am. 299 sqq.

De puellarum avaritia in Ovidii carminibus saepius agitur, sed non ita ut plurimum ad id quod demonstrare volumus conferatur. Etenim sententias enuntiat poeta potius quam facta enarrat, ut :

Non ego divitibus venio praeceptor amandi ;
Nil opus est illi, qui dabit, arte mea.
Secum habet ingenium qui, cum libet « accipe » dicit.
A. Am. II, 161 sqq.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur ;
Dummodo sit dives, barbarus ipse placet.
A. Am. II, 275.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro ;
At nunc barbaria est grandis habere nihil.
Am. III, VIII, 3.

Aut hortatur puellas ne avarae sint :

Parcite, formosae, pretium pro nocte pacisci.
Am. I, x, 47.

Similes autem sententias apud Tibullum et Propertium, si eos vel cursim legeris, haud dubito quin multas reperias. Eae enim sunt in amatoriis carminibus tanquam

loci communes. Unum tamen excipiam *Artis Amatoriae* locum, in quo puellae cujusdam avaritia non per sententias, sed per lepidissimam et veritatis plenissimam narrationem vituperatur. Scilicet nostros ob oculos proponuntur tres personae, amator, domina et institor ; et vividissime describitur quibus artibus domina usa, quae sibi velit emi, ab amatore dono accipiat :

Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
 Expediet merces teque sedente suas ;
Quas illa inspicias, sapere ut videare, rogabit,
 Oscula deinde dabit ; deinde rogabit emas.
Hoc fore contentam multos jurabit in annos,
 Nunc opus esse sibi, nunc bene dicet emi.
Si non esse domi, quos des, causabere nummos,
 Littera poscetur, ne didicisse juvet.
Quid, quasi natali cum poscit munera libo,
 Et, quotiens opus est, nascitur illa sibi ?
Quid, cum mendaci damno maestissima plorat,
 Elapsusque cava fingitur aure lapis ?

A. Am. I, 421 sqq.

Puellarum fallaciam multum abest ut Ovidius tantum detestetur quantum earum avaritiam.

Putat enim non posse fieri ut puellae non sint fallaces. Etiam eas praeceptis ipse instruit, ut custodes possint fallere :

. . . . ut fallas, ad mea sacra veni.

A. Am. III, 616.

Nimirum fallentibus ignoscit, quia formosae sunt. Sed de illa Ovidii opinione, quae minime neglegenda est, postea disseremus.

Pauca tantum de laudum aviditate quae puellis natura insita est Ovidius attulit. Et illa quidem aviditas notis-

sima, et observatori vel parum rebus perscrutandis intento in promptu est :

> Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos,
> Et teretes digitos exiguumque pedem.
> Delectant etiam castas praeconia formae :
> Virginibus curae grataque forma sua est.
>
> *A. Am.* I, 621 sqq.

Quibus cum versibus licet conferre *Med. fac.* 31 :

> Est etiam placuisse sibi quaecumque voluptas
> Virginibus cordi grataque forma sua est.

Cum autem quaeque sibi videatur amanda, bonam spem habeant viri se ab omnibus posse amari :

> Ergo age, ne dubita cunctas sperare puellas !
> Vix erit e multis quae neget una tibi.
> Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae.
>
> *A. Am.* I, 343 sqq.

Quorum versuum ultimum lectori proponere operae pretium esse mihi visum est, cum ab eo tantum scribi potuerit qui feminarum animi intima et arcana per se ipse experiendo cognovisset.

De feminis quae ab Ovidio Heroides nuncupantur. — Nobis in animo est, antequam de feminis disserendi finem faciamus, nonnulla addere de mulieribus illis quas, antiquis fabulis jam illustratas, Ovidius carminibus suis sub nomine Heroidum celebravit. Forsitan mireris me Heroidum epistulas non omnino omittere, cum illae ab omnibus imitationes tantum et merae exercitationes habeantur ; nec immerito quidem. Etenim fatendum est Heroidibus praecipue demonstrari quo studio Ovidius, dum adulescens erat, graecum epos et graecam tragaediam lectitavisset. Heroidum epistulae magna ex parte graecae

sunt. Attamen eis inest aliquid Ovidianum, quod quale sit dicere ad hujus dissertationis propositum assequendum plurimum valebit.

Heroides, scilicet Penelope, Phyllis, Briseis, Phaedra, Oenone, Hypsipile, Dido, Hermione, Dejanira, Ariadne, Canace, Medea, Laodamia, Hypermnestra (ut eas tantum enumerem quarum epistulas ab Ovidio conscriptas esse certo constat), omni antiquitatis colore, ut ita dicam, deposito, a poeta haud aliter depinguntur ac puellae de quibus supra verba fecimus. Etenim et sentiunt et loquuntur quasi Romae, circa Augusti principatum, natae essent. Nempe antiquitatis fabulosae mores, quales fuerant a graecis poetis depicti, non solum non intellexit Ovidius, verum etiam intellegere omnino noluit. Amoris tantum clarissima exempla ex illa antiquitate quaesivit ; et, cum persuasum haberet amorem omnibus hominibus, et omnibus temporibus eumdem esse, fecit ut Heroides ad imitationem puellarum Augusteae aetatis amarent. Id sane longe abest ut ei crimini vertam, cum Racinium nostrum in suis tragoediis haud aliter fecisse manifestum sit.

Equidem fateor me Homeri Penelopen et Sophoclis Dejaniram, ut exemplis utar, multo magis admirari quam Ovidii Penelopen et Dejaniram, quia aliquid multo majus et sublimius prae se ferunt. Sed si earum sublimitatem Ovidius nimis attenuavit, si eas aliquando etiam ridiculas effinxit, arte magis quam consilio mihi videtur peccavisse.

Heroidum epistulas cum scriberet, admodum juvenis erat, et satis artis imperitus [1]. Hoc opus etiam novabat,

[1] J. Heuwes, *De tempore quo Ovidii Amores, Heroides, Ars Amatoria conscripta atque edita sint,* Munster, 1883, demonstrare conatur Heroidum epistulas I-XI ab Ovidio juvene conscriptas esse (p. 42) ; cui opinioni libenter assentior. Quod vero dicit de epistulis XII-XX, scilicet eas extrema Ovidii aetate scriptas esse (p. 57), adhuc sub judice quaestio est.

ut ipse ait (*A. Am.* III, 345). Inde factum est ut pluribus mendis in hoc opere offendamur. Sed legitimum esse jure arbitrabatur antiquas et fabulosas puellas eis animi affectibus ornari quos poeta suo tempore suos aequales observando scrutari potuisset. Quod quidem fecerat Euripides, et fecit, ut supra diximus, Racinius noster, et sane ipse Ovidius in illa Medea tragoedia quam jam, ut opinor, quo tempore Heroidum epistulas scribebat, meditabatur.

Tolle tantum Heroidum nomina ex epistulis. Hoc facto qui legerit sane arbitrabitur eas a quibuslibet puellis, non ab Heroidibus conscriptas esse. Nihil enim aut heroicum aut fabulosum retinent.

Etenim vide quam humilibus verbis suspiciones suas de Ulixis adulteriis aperiat Penelope :

Haec ego dum stulte metuo, quae vestra libido est,
Esse peregrino captus amore potes.
Forsitan et narres quam sit tibi rustica conjux
Quae tantum lanas non sinit esse rudes.

Her. I, 75 sqq.

Quantum distat a gravi et nobili illius homericae Penelopes habitu !

Nec sermone regio mihi videtur uti Phyllis, Thraciae regis filia, cum Demophoonti talia scribit :

At mea despecti fugiunt conubia Thraces
Quod ferar externum praeposuisse meis ;
Atque aliquis « Jam nunc doctas eat, inquit, Athenas :
Armiferam Thracen qui regat alter erit ».

Her. II, 81 sqq.

Multo magis illum dicas esse solitum cujuslibet puellae sermonem quae se despici vehementer doleat.

Audi etiam quales sint Briseidos ad Achillem deprecationes :

Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor
  Quae mihi nescio quo non erit aequa modo.
Neve meos coram scindi patiare capillos
  Et leviter dicas : « haec quoque nostra fuit ».
Vel patiare licet, dum ne contempta relinquar.

Her. III, 77 sqq.

Ridiculae quidem deprecationes quia a Briseide pronuntiantur. Fac autem eas in ore romanae puellae esse quae amatoris sui uxorem reformidet, non tibi multum a veritate alienae esse videbuntur.

Quid de Didone dicam ita querenti :

Forsitan et gravidam Didon, scelerate, relinquas !

Her. VII, 133.

Quae Carthaginis reginam multo minus decent quam quamvis puellam ab amatore, ut saepe fit, relictam.

Hypsipyle Jasoni exprobrat quod ab eo nullas litteras accipiat, quibus certior de ejus claris facinoribus fiat. Quae facinora se tantum publico rumore audivisse queritur :

Haec ego si possem timide credentibus « ista
  Ipse mihi scripsit » dicere, quanta forem !

Her. VI, 15.

Minime, credo, heroica verba, non magis quam haec quae sequuntur, ex eadem ad Jasonem epistula excerpta :

Non probat Alcimede mater tua (consule matrem),
  Non pater, a gelido cui venit axe nurus.
Illa [Medea] sibi Tanai Scythiaeque paludibus udae
  Quaerat, et a patria Phasidis usque virum !

Her. VI, 105 sqq.

Ceream Protesilai absentis imaginem cum amplectitur Laodamia, num eam fingimus in Thessalia versari Trojani belli tempore ? Minime, ut opinor ; sed Romae in

thalamo suo videtur epistulam scripsisse, ex qua tales versus excerpo :

> Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
>   Quae referat vultus est mihi cera tuos :
> Illi blanditias, illi tibi dedita verba
>   Dicimus, amplexus accipit illa meos.
> Crede mihi ; plus est quam quod videatur imago ;
>   Adde sonum cerae ; Protesilaus erit.
>
> *Her.* XIII, 151 sqq.

Desinam plura exempla afferre, quamvis eorum magnam copiam cogere haud magni laboris sit, ne lectorem taedio premam. Ex his quae attuli satis apparet Heroidas nobis ab Ovidio propositas minime a puellis differre quas Romae ipse cotidie videbat.

Eas igitur cum fingeret, non solum graecos scriptores imitabatur, sed etiam viventes feminas sibi animo repraesentabat.

Jam primam hujus dissertationis partem concludere opportunum est. Igitur genus est quoddam puellarum quod proprie Ovidianum dici potest. Quas ad id tantum ut ament et amentur natas, corpore et moribus cultissimas, poeta ex perspicua observatione summa cum diligentia descripsit. Eas autem tali studio et favore prosecutus est ut ipsas feminarum personas, quas ex graecis, sive epicis sive tragicis, poetis assumpserit, earum ad imitationem non depingere non potuerit. Inde fit ut jure contendere possimus Ovidium vel in heroicis non solum lascivum, ut dixit Quintilianus (*Inst. Orat.* X, I, 88), sed etiam vitae imitandae curiosum sese praestitisse.

II

DE REBUS QUAE AD PUELLARUM VIVENDI RATIONEM PERTINENT

De janitore ad puellae fores. — Apud omnes amatorios poetas hoc carminis genus invenitur quo ad puellae januam preces ab amatore mittuntur : quod Graeci παρακλαυσίθυρον vocant. De quo confer Catull. LXVII ; Tib. I, II ; Hor. *Carm.* III, X ; Prop. I, XVI ; Ovid. *Am.* I, VI. A ceteris tamen differt Ovidius quod apud illos de janua tantum, apud eum de janitore res est [1].

Janitorem, catena ad januam religatum, Ovidius increpat et conviciis insequitur, postquam eum precibus et blanditiis corrumpere non potuit ut fores aperiret. Alio loco amatorem monet ut janitorem donis suum faciat :

> Fac plebem, mihi crede, tuam : sit semper in illa
> Janitor et thalami qui jacet ante fores.
>
> *A. Am.* II, 259.

De eunucho puellae custode. — Ille « thalami qui jacet ante fores » proprie puellae custos est. De quo non semel mentio facta est a ceteris poetis, exempli gratia,

[1] Cf. A. R. Zingerle, *Ovidius und sein Verhältniss, etc.*, fasc. I, p. 91.

a Tibullo II, III, 73, a Sulpicia *in ed. Tib.*, III, XII, 11, a Propertio I, XI, 15; II, VI, 37.

Ipse Ovidius viro maledicit qui, puellam ut servaret, ei custodiam imposuit :

Dure vir, imposito tenerae custode puellae.

Am., III, IV, 1.

Animadvertendum est Tibullum raro, Propertium nusquam queri se a domina sua per custodem arceri. Nimirum puellas videntur adamavisse parum custoditas. Etiam Propertius, iracundia sine dubio motus, palam profitetur faciles et e medio feminas sibi prae aliis cordi esse, contra se taedio habere mulieres ad quas aditus difficilis sit. Nobis liceat Propertii versus lectoris oculis proponere, cum per eos liqueat quantum ab ejus paulo crassiore animo multo cultioris et politioris Ovidii indoles differat :

Ah! pereant, si quos janua clausa juvat!
Contra, rejecto quae libera vadit amictu,
Custodum et nullo saepta timore, placet.
Cui saepe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet haec nunquam, nec poscet garrula quod te
Astrictus ploret saepe dedisse pater;
Nec dicet : « timeo, propera jam surgere, quaeso;
Infelix, hodie vir mihi rure venit! »
Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes
Me juerint.

Prop. II, XXIII, 12 sqq.

Longe aliter sentit Ovidius, cum hoc declaret :

Quidquid servatur cupimus magis.....

Am. III, IV, 25.

Sed ad custodem revertamur. Servum quemdam puellae

custodiendae praepositum Ovidius in duobus *Amorum* carminibus (II, II ; II, III) orat ut, custodia aliquantum remissa, amanti sibi faveat. Apud Tibullum autem et Propertium de qualicumque custode agitur; apud Ovidium, qui custodit eunuchus est, nomine Bagoas. Quod sane de Romanorum illius temporis moribus inquirenti minime neglegendum est.

De puella intra domum suam. — Quomodo puella domi plerumque vitam degat, duobus versibus poeta breviter exponit, cum dehortatur Corinnam ne trans mare proficiscatur, dicens :

Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
Threïciam digitis increpuisse lyram.
Am. II, XI, 31.

Si scire velis qui sint hi libelli, vide *Artis Amatoriae* librum III, 329 sqq., ubi enumerantur poetae quorum opera legere puellae utile erit, scilicet e graecis Callimachus, Simonides, Anacreon, Sappho, Menander, e latinis Propertius, Gallus, Tibullus, Varro Atacinus, Vergilius et ipse Ovidius. Quanquam enim rarissime inveniuntur puellae quae re vera doctae sunt, tamen pleraeque doctae videri volunt, ideoque libenter sibi poetas curae esse fingunt :

Sunt tamen et doctae, rarissima turba, puellae ;
Altera non doctae turba, sed esse volunt.
A. Am. II, 281.

Musicae quoque indulgere solent, sive canunt, sive lyrae aut citharae operam dant :

Haec quia dulce canit, flectitque facillima vocem,
. . . .
Haec querulas habili percurrit pollice chordas.
Am. II, IV, 25-27.

Cum vero illae artes magni momenti sint ad placendum, Ovidius puellas hortatur ut earum studio incumbant :

Res est blanda canor. Discant cantare puellae :
  Pro facie multis vox sua lena fuit.
Et modo marmoreis referant audita theatris
  Et modo niliacis carmina lusa modis.
Nec plectrum dextra, citharam tenuisse sinistra
  Nesciat arbitrio femina docta meo.

A. Am. III, 315 sqq.

Ludere etiam puellas facit Ovidius tesseris, talis, latrunculis aliisque ludorum generibus ; et amatorem ejusque amicam sic ludentes nobis ostendit, ut amator semper se vinci velit :

Seu ludet [puella], numerosque manu jactabit eburnos,
  Tu male jactato, tu male jacta dato.
Seu jacies talos, victam ne poena sequatur,
  Damnosi facito sint tibi saepe canes ;
Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
  Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

A. Am. II, 204 sqq.

Tantum autem fuit ejus studium nihil neglegendi, ut alio loco (*A. Am.* III, 35 sqq.) illos ludos satis illustribus verbis describere conaretur : difficillimum sane opus et vix poeta dignum ; a qua tamen difficultate sese eleganter expedivit.

De ancillis. — De ancillis idem sentit Ovidius quod Horatius, qui, notissimo quodam in carmine dixit :

Ne sit ancillae tibi amor pudori.

Hor. *Carm.* II, IV, 1.

Fatetur enim se ancillarum amorem minime despexisse :

Nec nimium vobis formosa ancilla ministret :
Saepe vicem dominae praebuit illa mihi.

A. Am. III, 665.

Et eum non puduit narrare quo cum gaudio Cypassidis ancillae amore perfructus sit. (*Am.* II, VIII).

Duae sunt in *Amorum* carminibus ancillae quae nominatim appellantur, scilicet Nape et Cypassis ; et quae laudibus cumulantur ut capillos ornandi artis peritissimae :

Colligere incertos et in ordine ponere crines
Docta, neque ancillas inter habenda Nape.

Am. I, XI, 1.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna, Cypassi, deas.

Am. II, VIII, 1.

Earum nomina noli mirari graeca esse, cum satis constet magnam tunc fuisse Romae graecorum servorum turbam. Ceterum graecis feminis plerumque serviunt. Illae enim puellae « modo quas vindicta redemit » fere omnes graecae sunt, ut patet ex nominibus vel veris vel fictis quibus ab amatoriis poetis appellantur, ut Corinna, Delia, Nemesis, Lydia, Cynthia. Ita ut amatores, ut illis placeant, operam graecae linguae discendae dare debeant :

Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, et linguas edidicisse duas.

A. Am. II, 121.

Capillos autem ornandi munus non sine quodam periculo fuisse declarat Ovidius, cum dominae suae Corinnae gratuletur quod nunquam ira mota ornatricis bracchia acu sauciaverit :

Ornatrix tuto corpore semper erat :
Ante meos saepe est oculos ornata, nec unquam
Bracchia derepta saucia fecit acu.

Am. I, xiv, 16.

Tales ancillas plurimum pollere in puellarum domo non est quod miremur. Itaque Ovidius existimavit amatori magnae curae esse debere ut earum voluntatem sibi conciliaret :

Sed prius ancillam captandae nosse puellae
Cura sit : accessus molliet illa tuos.

A. Am. I, 351.

Praeterea animadvertendum est neque apud Catullum, neque apud Tibullum de talibus ancillis usquam tractari. Hic enim Tibulli versus parvi momenti est quo senem amantem exagitat, quem

Stare nec ante fores puduit, caraeve puellae
Ancillam medio detinuisse foro.

Tib. I, ii, 93.

Uno tantum in carmine (III, xv) Propertius obtestatur se nunquam cum Lycinna ancilla peccavisse. Tota igitur Ovidiana est illa de ancillis, ut ita dicam, quaestio. Nempe tribus quos supra nominavi poetis major erat in amando gravitas quam ut de tam parvis rebus curarent.

Sed Ovidio non satis est amatorem monere ut ancillarum voluntatem sive comitate, sive parvis muneribus sibi conciliet. Cum vero ancillarum amoris non incuriosus fuerit, hanc quaestionem pluribus verbis, neque, fateor, illepide agitavit, num amatori prosit ancillas, ut ipse ait, « violare » :

Quaeris an hanc ipsam prosit violare ministram ?
Talibus admissis alea grandis inest.

. . . .

Casus in eventu est; licet hic indulgeat ausis,
Consilium tamen est abstinuisse meum.

A. Am. I, 375 sqq.

Experti sane hominis, et postquam expertus est prudentis facti consilium.

De lena. — De lena libenter tacerem, cum carmen in quo illa describitur (*Am.* I, VIII) rhetoricae exercitationi simillimum sit. Ex amatoriis poetis nullus fere est qui lenam depingere et conviciis insequi omiserit; omnes autem eam eisdem coloribus pinxerunt, scilicet annis obsitam, vino deditam, et rapacissimam. Talis quoque exstat apud Ovidium Dipsas anus, quae sueta consilia puellae in aures copiose infundit. Nolui tamen de ea nihil omnino dicere, quia Ovidius lenae sermoni se adfuisse affirmat :

Fors me sermoni testem dedit; illa monebat
Talia (me duplices occuluere fores).

Am. I, VIII, 21.

Quod forsitan verum sit, quanquam hoc affirmare non ausim. Si artificio dicendi tantum usus est, artificio saltem rem communem et tritam vividiorem reddere valuit.

De puella extra domum suam. — Puellas sub porticibus deambulantes, aut in theatris sedentes, aut Circi ludos spectantes Ovidius observavit et descripsit.

Sunt quae spatientur in porticu quae est ad Apollinis Palatini templum, ubi Danaidum simulacra constituta sunt :

Hesterna vidi spatiantem luce puellam
Illa quae Danai porticus agmen habet.

Am. II, II, 3.

Aliae Pompeii aut Octaviae aut Liviae porticus invisunt (*A. Am.* I, 67 sqq ; III, 387) [1].

Sacra quoque frequentes adeunt puellae cum peregrina, ut Adonidis, Judaeorum, Isidis (*A. Am.* I, 75 sqq ; III, 635) tum Bonae Deae, quibus viri interdicuntur (*A. Am.* III, 637) ; neque fora neglegunt (*A. Am.* I, 79).

Lepide autem narrat Ovidius quomodo puella custodis vigilantiam decipere possit, aut ad balnea eundo, aut amicam visendo quae se aegrotare simulet :

> Cum, custode foris tunicas servante puellae,
> Celent furtivos balnea multa jocos,
> Cum, quotiens opus est, fallax aegrotet amica
> Et cedat lecto quamlibet aegra suo.
>
> *A. Am.* III, 639 sqq.

Solent puellae et in theatra venire,

> ... conspicuis terna theatra locis.
>
> *A. Am.* III, 394.

> Spectatum veniunt ; veniunt spectentur ut ipsae.
>
> *A. Am.* I, 99.

Denique Circensibus ludis potissimum adsunt, quia licentia loci, densus et confusus populus plurima amatoribus et puellis praebent commoda :

> Multa capax populi commoda Circus habet.
>
> *A. Am.* I, 136.

Quamobrem Ovidius duobus locis (*Am.* III, II ; *A. Am.* I, 35-163) de Circo fusius verba fecit. Quam facete quamque vere amatoris officia in puellam ipsi assidentem ab eo enarrata sint satis notum est. Liceat nobis tantum aliquos versus afferre quibus poetae vividum in observando acu-

[1] De quibus porticibus vide R. Lanciani, *Ancient Rome*, London. 1894, p. 94 sqq.

men, et facilis in scribendo elegantia legentis in memoriam revocentur :

Hic tibi quaeratur socii sermonis origo,
  Et moveant primos publica verba sonos.
Cujus equi veniant facito studiose requiras,
  Nec mora, quisquis erit cui favet illa, fave !
At cum pompa frequens certantibus ibit ephebis,
  Tu Veneri dominae plaude favente manu.
Utque fit, in gremium pulvis si forte puellae
  Deciderit, digitis excutiendus erit ;
Et si nullus erit pulvis, tamen excute nullum :
  Quaelibet officio causa sit apta tuo.
Pallia si terra nimium demissa jacebunt,
  Collige, et immunda sedulus effer humo.
Protinus, officii pretium, patiente puella,
  Contingent oculis crura videnda tuis.
Respice praeterea, post vos quicumque sedebit,
  Ne premat opposito mollia terga genu.

A. Am. I, 143-159.

De Urbe Roma. — Jam nunc quae dixi de locis a puellarum turba Romae celebratis concludam quaerendo quid Ovidius dė Urbe ipsa senserit.

Unus, ut opinor, Ovidius inter scriptores romanos fateri ausus est sibi magno gaudio fuisse quod Roma, illa aetate, amatoria civitas, ut sic loquar, exstiterit [1].

[1] Similia loquens de Urbe Roma Propertius non gaudet, sed potius lamentatur :
Qui quaerit Tatios veteres, durosque Sabinos,
  Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
  Altaque mortali deligere astra manu,
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae.
  Hic mos Saturno regna tenente fuit.

Prop. II, xxxii, 47, sqq.

Quis enim dubitet hos, qui sequuntur, versus magna cum ingenii alacritate et laetitia conscriptos fuisse ?

Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas
« Haec habet » ut dicas « quidquid in orbe fuit. »
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,
Quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas ;
Mater in Aeneae constitit urbe sui.

A. Am. I, 55 sqq.

Veneris urbem, festivitate luxuriantem, auream Romam (*A. Am.* III, 113), magnopere dilexit Ovidius ; ita ut, Catulli, Tibulli, Propertii perquam dissimilis, non tam proprii sui amoris cantor fuerit quam illum amorem celebraverit qui, cum jam theatra, circum, porticus, vicos, domos, totam denique Urbem invasisset, juvenum animos novis illecebris quasi inebriaret.

Neque id mirandum si, de Roma loquens, exclamavit :

Illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Am. II, IV, 32.

III

DE AMATORIBUS

Amatorum « casus componere », ut ipse ait, Ovidius admodum juvenis, quo tempore *Amorum* libros scribebat jam in animo habuit :

Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, saucius arcu
  Agnoscat flammae conscia signa suae,
Miratusque diu « quo, dicat, ab indice doctus
  Composuit casus iste poeta meos ? »

Am. II, I, 7 sqq.

De juvenibus illis, de illo amori dedito populo, ut ejus verba usurpemus, quid retulerit nunc videamus.

De amatoris habitu corporis. — Amatoris effigiem, quod ad corporis habitum spectat, Ovidius in *Artis Amatoriae* libro primo pluribus versibus descripsit. Nimiam in corporis cultu elegantiam et mollitiem vituperat :

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
  Nec tua mordaci pumice crura teras.
. . . .
Forma viros neglecta decet.

A. Am. I, 505 sqq.

Quam asseverationem a Phaedra prolatam in ejus ad Hippolytum epistula invenimus :

Sint procul a nobis juvenes ut femina compti;
Fine coli modico forma virilis amat.

Her. IV, 75.

Si autem versus consideraveris quibus poeta dixit cujus habitus esse deberent amatores, non poteris non animadvertere quam sit vel minima praecipiendi studiosus :

Munditie placeant : fuscentur corpora Campo;
Sit bene conveniens et sine labe toga.
Linguam ne rigeant; careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet,
Nec male deformet rigidos tonsura capillos.
Sit coma, sit scita barba resecta manu.
Et nihil emineant, et sint sine sordibus ungues,
Inque cava nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris.
Nec laedat nares virque paterque gregis.

A. Am. I, 513 sqq.

Lepide etiam addit pallorem admodum decere amantem :

Palleat omnis amans! hic est color aptus amanti!
Hoc decet : hoc stulti non valuisse putent!

A. Am. I, 729.

De amatoris moribus. — Permulta de amatoris moribus ab Ovidio allata sunt. Quae non mihi in animo est omnia recensere, cum ex his duo fere *Artis Amatoriae* libri constent. Nonnulla tantum excerpam, quibus perspici possit quam vivide in hac re, sicut in ceteris, poeta homines et res ad veri similitudinem descripserit.

Et illud quidem perspicere poterit qui hos de ficta ebrietate versus legerit :

Ebrietas, ut vera nocet, sic ficta juvabit.
Fac titubet blaeso subdola lingua sono,

Ut quidquid facias, dicasve protervius aequo
  Credatur nimium causa fuisse merum.
Et « bene » dic « dominae, bene cum quo dormiat illa ».
A. Am. I, 597 sqq.

Quid, cum Ovidius Romanam juventutem hortatur ut bonas artes discat, ita tamen ne coram amica quisquam ineptissime declamet :

Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus ;
  Effugiant voces verba molesta tuae !
Quis nisi mentis inops tenerae declamet amicae ?
A. Am. I, 463 sqq.

Si quando amator carmina amicae recitaverit, non refert utrum illa sint mala an bona, dummodo recitantis vox suavis sit :

. . . . carmina lector
  Commendet dulci qualiacumque sono.
A. Am. II, 283.

Ingeniosa quidem, et ingeniosi observatoris sententia !

De muneribus ab amatore ad puellam mittendis nonnulli exstant versus, in quibus nescio utrum sagacitatem in scrutandis animis, an facetum orationis colorem magis admirer :

Nec dominam jubeo pretioso munere dones.
  Parva, sed e parvis callidus apta dato.
Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant,
  Adferat in calatho rustica dona puer,
Rure suburbano poteris tibi dicere missa,
  Illa vel in Sacra sint licet empta via.
Adferat aut uvas, aut quas Amaryllis amabat
  (At nunc castaneas non amat illa !) nuces.
Quin etiam turdoque licet missaque corona
  Te memorem dominae testificere tuae.
A. Am. II, 261 sqq.

Est etiam ubi lepida narratiuncula ostendatur quomodo amator, ipso Ovidio praesente, cum amica se gesserit. Scilicet amatorem poeta monet ne unquam puellam odisse velit, si amore se liberari cupiat. Quod ut demonstret, talia enarrat :

Forte aderam juveni : dominam lectica tenebat ;
  Horrebant saevis horrida verba minis.
Jamque vadaturus, « lectica prodeat », inquit.
  Prodierat : visa conjuge mutus erat ;
Et manus, et manibus duplices cecidere tabellae :
  Venit in amplexus, atque ita « vincis », ait.

Rem. Am. 663 sqq.

Taciturnitatem Ovidius ut virtutem ante omnes amatori necessariam praedicat ;

Praecipue Cytherea jubet sua sacra taceri :
  Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.

A. Am. II, 607.

Quapropter illos insectatur homines nugarum plenos, fatuos, loquaces et mendaces, qui, quodcumque fecerint, se hoc fecisse vulgo jactant, etiam quae non fecerint se fecisse asseverant. Quos puellis magnopere vitandos Ovidius acri et mordaci stylo descripsit, ut qui eos bene noverit :

At nunc nocturnis titulos imponimus actis
  Atque emitur magno nil nisi posse loqui.
Scilicet excuties omnes ubiquaque puellas,
  Cuilibet ut dicas : « haec quoque nostra fuit » ?
Ne desint quas tu digitis ostendere possis,
  Ut quamque attigeris fabula turpis erit ?
Parva queror : fingunt quidam quae vera negarent,
  Et nulli non se concubuisse ferunt.

A. Am. II, 625 sqq.

Hi sunt quos facillime inter multos agnoscas cum cultu corporis fere femineo decorentur :

Sed vitate viros cultum formamque professos,
Quique suas ponunt in statione comas.
A. Am. III, 433.

Homines sic sibi placentes ut existiment se ab omnibus mulieribus adamari :

Praecipue si cultus erit, speculoque placebit,
Posse suo tangi credet amore deas.
A. Am., III, 681.

Amatorum aliud genus Ovidius attingit et vituperat, turpe quidem et contemptu dignissimum; quippe qui specie amoris lucrum petant. Grassatores autem istos coma, vestitu, gemmis commendabiles, quales vidit tales depinxit; et ejus in versibus non ut umbrae et incertae figurae, sed ut vivae et e vivis expressae personae nobis ante oculos obversantur :

Sunt qui mendaci specie grassentur amoris
Perque aditus tales lucra pudenda petant.
Nec coma vos fallat nitido liquidissima nardo,
Nec brevis in rugas lingula pressa suas,
Nec toga decipiat filo tenuissima, nec si
Annulus in digitis alter et alter erit
Forsitan ex horum numero cultissimus ille
Fur sit et uratur vestis amore tuae.
« Redde meum » clamant spoliatae saepe puellae,
« Redde meum » toto voce boante foro.
A. Am., III, 441 sqq.

De milite. — Amatoribus miles annumerandus est, quanquam minimum in Ovidii carminibus locum ille obtinet. Etenim semel tantum (*Am.* III, VIII) de eo mentio

facta est. Quod tamen satis est ut intellegas quam parum poetae acceptus sit miles. Poeta militem odit ut rivalem cui, propter divitias pugnando comparatas, puellae favere soleant :

> Ecce recens dives, parto per vulnera censu,
> Praefertur nobis sanguine pastus eques.
>
> *Am.* III, VIII, 9.

Fieri quidem potuit ut re vera Ovidius rivalem habuerit militem. Non tamen affirmare ausim illud carmen in quo de milite agitur non ad id tantum compositum fuisse ut rhetorico modo militi compararetur poeta. Etenim quasi locus communis est illa comparatio, et apud omnes amatorios poetas invenitur [1]. Ab eis autem militiam et militem contemni satis constat ; et in ea re forsitan Ovidius priores poetas solum aemulari voluerit.

De marito. — Hic nobis videtur opportunum aliquid dicere de maritis, quos Ovidius non omnino omisit.

Nempe tria apud eum invenio maritorum genera, scilicet maritum deceptum qui se decipi non credit, maritum incautum et facilem, denique maritum severitate plenum et de uxore sua nimis sollicitum. Quibus in describendis ut satis felicem, ita admodum veracem poetam fuisse existimo.

Vir quidam frontem severam prae se fert, inutiliter quidem, nam

> Cum bene vir traxit vultum rugasque coegit,
> Quod voluit fieri blanda puella, facit.
>
> *Am.* II, II, 33.

Ille etsi a custode certior factus erit puellam pecca-

[1] Cf. Horat. *Carm.* I, XXIX, 10 sqq ; Tib. I, X ; Prop II, VII.

visse, non servo affirmanti credet, sed feminae deneganti. Quin etiam, ipse si viderit, non credet tamen :

Viderit ipse licet, credet tamen ille neganti,
Damnabitque oculos et sibi verba dabit.
Adspiciat dominae lacrimas, plorabit et ipse,
Et dicet « poenas garrulus iste dabit ».

Am. II, II, 57 sqq.

Quanquam versibus quibus in facilem maritum invehitur Ovidius (*Am.* II, XIX) inest potius juvenilis petulantia quam sincerus veritatis color, tamen verborum junctura, qua in hoc versu utitur,

Quid mihi cum facili, quid cum *lenone marito ?*

Am. II, XIX, 57.

adeo ad rem apta mihi visa est, ut eam non laudare noluerim.

Alius vir, uxoris suae pudicitiae diffidens, ei custodem imposuit :

Dure vir, imposito tenerae custode puellae,
Nil agis : ingenio est quaeque tuenda suo.

Am. III, IV, 1,

Ceterum inelegantis ingenii est, si quem uxoris adulterium laeserit :

Rusticus est nimium quem laedit adultera conjux,
Et notos mores non satis Urbis habet.

Am. III, IV, 37.

Itaque maritum ironice hortatur poeta ut faciliorem se praebeat :

Si sapis, indulge dominae, vultusque severos
Exue nec rigidi jura tuere viri,
Et cole quos dederit (multos dabit) uxor amicos :
Gratia sic minimo magna labore venit.

Sic poteris juvenum convivia semper inire,
Et, quae non dederis, multa videre domi.
Am. III. iv, 43 sqq.

Num autem inanem conjecturam facere me putabis si dixero ab Ovidio non confictam esse, sed ad similitudinem veri delineatam illius mariti persönam, cui neque ignaro neque invito plurimos amicos et magnas opes adulterium uxoris comparaverit ?

De Ovidio ipso. — Inter amatores quos ex Ovidii amatoriis carminibus describere conamur, ipsum Ovidium praetermittere non licet. Nonnulla de se ipse in eis carminibus nobis tradidit ; nec mirum : namque ea carmina inchoavit cum adulescens esset, ut ipse ait :

Carmina cum primum populo juvenilia legi,
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Trist. IV, x, 57.

Illa autem consuetudine usus qua utuntur multi poetae, priorum suorum librorum materiem in se aliquatenus invenit. Itaque in his prioribus libris ejus ad vivum expressam effigiem quaerere libet.

Primum de suo corporis habitu nos certiores fieri voluit. Macrum ergo se fuisse declarat, ut quem amatoriae sollicitudines « tenuaverint », et ad fores semiapertas intrandum aptum reddiderint :

...... aditu fac janua parvo
Obliquum capiat semiadaperta latus.
Longus amor tales corpus tenuavit in usus.
Aptaque subducto corpore membra dedit.
Am. I, vi, 3 sqq.

Sed, quamvis gracile, ejus corpus robustum erat :

. . . . . graciles, non sunt sine viribus artus ;
Pondere, non nervis corpora nostra carent.
Am. II, x, 23.

De sua macie tamen queritur, cum se amore quasi exsiccatum satis jocose, credo, lamentetur :

. . . . . . ossa mihi nuda relinquit amor.
Am. II, IX, 14.

Quod ad ejus mores attinet, se pigrum libenter neque ineleganter fatetur :

Ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus :
Mollierant animos lectus et umbra meos.
Am. I, IX, 41.

Nequitiam suam, propter quam tota Urbe praetereuntium digito monstratur (*Am.* III, I, 17 sqq.), ipse, nec invitus, celebrat :

Ille ego nequitiae Naso poeta meae.
Am. II, I, 2.

Etiam de illa nequitia sermones cum amicis suis se libenter habere initio cujusdam elegiae significat :

Tu mihi, tu certe, memini, Graecine, negabas
Uno posse aliquem tempore amare duas.
Per te ego decipior, per te deprensus inermis ;
Ecce duas uno tempore turpis amo.
Am. II, x, 1 sqq.

De fortuna sua loquens haud semel paupertatem suam commemorat :

Sunt mihi pro magno felicia carmina censu.
Am. II, XVII, 27.

Pauperibus vates ego sum, quia pauper amavi.
A. Am, II, 165.

Si me non veterum commendant magna parentum
  Nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
Nec meus innumeris renovatur campus aratris,
  Temperat et sumptus parcus uterque parens,
At Phoebus, comitesque novem, vitisque repertor
  Hinc faciunt...

Am. I, III, 7 sqq.

Ubi natus sit pluribus locis Ovidius dixit, cum « Paeligni » sexies, « Sulmo » bis in *Amorum* libris reperiantur ; natus est autem Sulmone, quae est, ut ipse ait, « pars Paeligni tertia ruris ». Sed in *Amorum* tantum libris ejus patriae mentio est. Nempe adulescens Sulmonis et Paelignorum immemor nondum erat. Sed postea, aetate maturior, Romam ita adamavit, ut eam suae patriae praetulerit, et de Paelignis et Sulmone sine dubio haudquaquam curaverit.

Ex eo tamen quod rure natus erat quamdam in rebus rusticis describendis ingenuitatem et veritatem retinuit. Profecto quae in *Remediis Amoris* leguntur de agricolarum operibus, de venandi et piscandi arte (*Rem. Am.* 171-212), ex animo scripta esse non contendere ausim. Sed aliqua laude digna mihi videtur rusticae pompae descriptio quam apud Faliscos Ovidius cum conjuge sua spectavit (*Am.* III, XIII), et aliquid sincerum sonant hi versus quos lectori propono :

Saepe sub autumnum, cum formosissimus annus.

A. Am. II, 315.

  Et laedunt nudos prata novella pedes.

A. Am. II, 698.

De Ovidio ipso non est quod plura dicamus, praesertim quia, de amore jam locuturi, non fieri poterit ut poetae qui de amore scripserit ingenium et indolem aliqua ex parte simul non perpendamus.

De sermone amatorio. — Verum amantium sermonem apud amatorios poetas vix inveniri posse manifestum est, quia amantis alius sermo est scribentis, alius coram domina loquentis. Pauca tamen afferre possumus quae novisse non omnino supervacuum erit.

Qualia debeant esse amantium inter se verba sic Ovidius memorat :

Dulcibus est verbis mollis alendus amor.
A. Am. II, 152.

Blanditias molles auremque juvantia verba
Adfer, ut adventu laeta sit illa tuo.
A. Am. II, 159.

Vocabula « dulcis, mollis » Ovidio adeo grata sunt, ut « molli, molliter, mollior, molli » uno in carmine quod intra octo et quadraginta versus continetur (*Am.* II, IV) legi possint.

« Ocellis » pro « oculis » uti solet, ita ut hoc deminutivo suos etiam ipsius oculos significet :

Tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos.
Am. II, XIX, 19.

Quoties autem dominam suam appellat, sic exclamat : « vita », « mea vita », « mea lux » (*Am.* II, XV, 21 ; *id.* III, VIII, 11 ; *id.* I, IV, 25, etc.). Quas appellationes apud Propertium etiam crebriores invenias (Prop. I, II, 1 ; II, XIV, 29 ; II, XX, 11 ; II, XXVIII, 59, etc.), et apud Sulpiciam (*in ed. Tib.* III, IX, 15 ; III, XVIII, 1).

Verbis « lux mea » feminas quoque uti ad viros appellandos declarat Ovidius cum hoc scribit :

Scilicet Ajaci mulier maestissima dixit
« Lux mea » quaeque solent verba juvare viros ?
A. Am. III, 524.

Dominae oculi ab eo sideribus conferuntur :

> Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.
>
> *Am.* II, xvi, 44.

Quod jam fecerat Propertius :

> Non oculi, geminae, sidera nostra, faces.
>
> Prop. II, iii, 14.

Sed non, ut supra dixi, ita re vera loquuntur inter se plerumque amantes. Immo poetica est illa potius quam e vita desumpta dicendi ratio.

IV

DE AMORE

De Ovidiano amore. — Ex his quae hactenus attulimus suspicari licet Ovidium peculiarem quamdam amoris imaginem mente concepisse quae, ut mea fert opinio, non ex imitatione superiorum poetarum, sive graecorum, sive romanorum, formata sit, sed potius e condicione rerum inter quas poeta vixerit, sicut certus fructus e certa arbore, producta evaserit.

Praeterea is erat natura et ingenio Ovidius ut magis quam quivis alius tali rerum condicione moveretur et delectaretur.

Qualis sit ille, ut ita dicam, Ovidianus amor, jam quaerere incipiam.

Amorem non rem seriam, sed quasi ludum ac jocum ab Ovidio haberi inde primum apparet quod, de rebus amatoriis loquens, vocabulis « ludere, lusus » crebro utitur (*Am.* I, VIII, 43 ; I, VIII, 86 ; II, III, 13 ; *A. Am.* II, 389 ; II, 600 ; III, 62 ; *Rem. Am.* 23, 24). Eadem, fateor, vocabula de eisdem rebus et apud Catullum, et apud Tibullum, et apud Propertium aliquando inveniuntur (exempli gratia : Cat. LXI, 211 ; LXVIII, 17 ; Tib. I, III, 63 ; II, I, 87 ; Prop. I, X, 9 ; II, XV, 21) ; sed rarius, nec

quae talem qualem in Ovidio ex toto carminum tenore significationem praebeant.

Praeterea Ovidius, cum quae sit sua ipsius et amatorum indoles ostendere vult, sic loquitur :

Nos, hilarem populum, femina laeta capit.

A. Am. III, 518.

Quod cum his quae supra diximus optime congruit. In illo autem hilari amatorum populo si forte Horatium, at certe nullo modo Catullum, Tibullum, Propertium numerare aequum erit ; qui acrius et vehementius amaverunt quam ut in amando hilaritatem retinerent.

Operae etiam pretium est animadvertere Ovidium, cum de quaerenda puella praecipit, comparatione uti quae a venatione petatur, exempli gratia :

Sed tu praecipue curvis *venare* theatris.

A. Am. 1, 89.

Quid tibi femineos coetus *venatibus* aptos
Enumerem ?

A. Am. I, 253.

Hactenus unde legas quod ames, ubi *retia* ponas.

A. Am. I, 263.

Ista comparatio cum inurbana, tum non tam amori quam nescio cui amoris exercitationi et ludo apta mihi videtur, et plane ostendit poetam lascivia magis quam vero amore tangi, quod sane nemo non nescit.

De amoris doloribus. — Cum res ita sint, ne miremur Ovidium de doloribus quibus amor corrumpatur parum significanter scripsisse. Iis enim qui potius in amore ludunt quam vere amant curae et sollicitudines esse possunt, veri dolores non possunt. Attamen illos dolores memorare non oblitus est, et id quidem facit satis egregiis versibus, ut :

Curaque, et in magno qui fit amore dolor.
A. Am. I, 736.

Quod juvat exiguum; plus est quod laedat amantes.
. . . .
Litore quot conchae, tot sunt in amore dolores.
A. Am. II, 515 sqq.

Ceterum eae sententiae, quia generatim atque universe exprimuntur, frigidiores sunt. Quibus si contuleris quae eadem de re Tibullus (cf. in primis II, IV) aut Propertius aut Catullus scripserunt, eas haud longe aberit ut parvi aestimes.

Propertii unum tantum, ne longior sim, de viro qui caeco amoris vulnere perit, admirabilem versum afferam:

Ambulat, et subito mirantur funus amici.
Prop. II, IV, 23.

Nulli autem in ea re Catullus comparandus est, cujus si nonnullis, dolore plenissimis, versibus hanc dissertationem illustravero, spero fore ut lector id mihi non crimini vertat, contra mihi potius gratias agat:

Difficile est longum subito deponere amorem.
  Difficile est, verum hoc qua lubet efficias:
Una salus haec est, hoc est tibi pervincendum,
  Hoc facias, sive id non pote, sive pote.
O di, si vestrum est misereri, aut si quibus unquam
  Extremo jam ipsa in morte tulistis opem,
Me miserum adspicite, et, si vitam puriter egi,
  Eripite hanc pestem perniciemque mihi.
Ei mihi! subrepens imos ut torpor in artus
  Expulit ex omni pectore laetitias!
Non jam illud quaero, contra ut me diligat illa,
  Aut, quod non potis est, esse pudica velit:

Ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum.
O di, reddite mi hoc pro pietate mea.

Cat. LXXVI, 13 sqq.

Equidem fateor aliquos esse in Ovidii libris versus de suis ipsius in amore doloribus qui vim et pondus habent, ut :

At mihi saevus amor somnos abrumpat inertes !

Am. II, x, 19.

Ei mihi perpetuum nata puella malum !

Am. II, v, 4.

Et tua saevus amor sub pede colla premit.

Rem. Am., 530.

Sed in summa libenter affirmaverim eum nunquam talia perpessum esse qualia Catullus. Immo malum, quod amantibus ex amoris doloribus venit, ei adeo sanabile visum est, ut id praeceptis sanari posse crediderit. Quapropter illum de Remediis amoris libellum composuit.

De morte. — Eorum qui vehementer amant saepe fit ut mentibus imago mortis obversetur. Quibus, si praesertim animo et corpore debiles sunt, et si eorum amor non est continuo felix, vita vix videtur posse tolerari. In quorum numero Tibullus valde numerandus. Ovidius vero, qui unus erat ex « hilari populo », et qui bona valetudine fruebatur, mortem minime appetebat. Itaque rarissime apud eum amoris felicitas mortis imagine obumbratur. Quod si in uno *Amorum* carmine de sua morte egit, id in modum joci, etiam impudice fecit :

At mihi contingat Veneris languescere motu,
Cum moriar, medium solvar et inter opus.
Atque aliquis nostro lacrimans in funere dicat :
Conveniens vitae mors fuit ista tuae.

Am. II, x, 35 sqq.

De religione. — Non supervacuum est paucis explanare quae fuerit Ovidii de diis et de deorum numine opinio, cum id in amatoriis suis carminibus non semel attigerit. Atque inde prorsus aliquid petam quod ad amorem spectet.

Minimam habuit Ovidius adversus deos reverentiam. Illos etiam exsistere forsitan vix crediderit cum quae sequuntur satis ironice dicta esse videantur :

Expedit esse deos, et, ut expedit, esse putemus.
Dentur in antiquos tura merumque focos.
Nec secura quies illos similisque sopori
Detinet. Innocue vivite : numen adest.

A. Am. I, 637 sqq.

Atque illi versus non sunt lascivientis adulescentis, sed a poeta aetate jam satis provecto in *Arte Amatoria* scripta sunt.

Ceterum, ut sint dii, de eis loquitur ut qui eorum iram parum reformidet. Eos contra lepide irridet, nec Jovis ipsius fulmen magnopere curat :

Juppiter, ignoscas, nil me tua tela juvabant.
Clausa tuo majus janua fulmen habet.

Am. II, I, 19.

Jovem ipsum jocose insimulat quod falsum jurare saepe non dubitaverit, ut Junoni uxori infidus maritus verba daret.

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum
Et jubet Aeolios irrita ferre Notos.
Per Styga Junoni falsum jurare solebat
Juppiter : exemplo nunc favet ille suo.

A. Am. I, 633 sqq.

Deos amantum perjuria ridere pro communi loco habent omnes amatorii poetae. Inde tamen sequitur ali-

quid quod proprie Ovidianum esse mihi visum est, quodque jam explicabo.

Fingit Ovidius deos formosis feminis parcere non solum quia eos pigeat tenera corpora et molles animos vexare et affligere, sed quia Formae numen proprium insit, etiam diis venerabile, et cui dii ipsi cedere cogantur.

Scilicet aeterno falsum jurare puellis
Di quoque concedunt, formaque numen habet.
Am. III, III, 11.

Formosas Superi metuunt offendere laesi
Atque ultro, quae se non timuere, timent.
Am. III, III, 31.

Di quoque habent oculos, di quoque pectus habent.
Am. III, III, 42.

Itaque oculis et pectore dii inducuntur ut Formae numini se submittant [1].

Illi ergo divinae, supra homines deosque ipsos positae, femineae Formae Ovidius quasi sacerdos praepositus eam suspicit, colit, adorat. Hanc novam deam Romae habitare, Romae dominari animadvertit. Ea autem est quae se ejus oculis non pictis tabulis aut statuis manifestam praeberet, sed magna illa puellarum turba quibus Urbs tum complebatur et adornabatur. Igitur, cum divina, tum viva fuit Formae illa imago quam Ovidius solus inter romanos poetas, meo judicio, mente concepit, quae ejus ingenium sustinuit et amplificavit, et qua factum est ut ejus amatoria carmina vivido quodam et satis grandi spiritu afflarentur.

[1] Nescio an Fontanius noster (La Fontaine) hanc eamdem de Forma opinionem, quam in Adonidis poemate edidit, ab Ovidio mutuatus sit ; sic enim Venus loquitur :

La Beauté, dont les traits même aux dieux sont si doux
Est quelque chose encor de plus divin que nous.
Adonis, 97.

CONCLUSIO

Nunc quae disseruimus breviter contrahamus. Puellas corporis et morum cultu commendabiles, procaces, fallaces, in primis formosissimas, quae Romae aureae decori erant, nullus inter romanos poetas tam libenter, tamque vivide quam Naso depinxit. Illas ipse « suam turbam » vocat (*A. Am.* III, 811). Quod si quales essent et quomodo vitam agerent nobis non retulisset, (quod sane summo studio et amore fecit), manca foret aliqua ex parte nostra morum Romanorum scientia.

Quia autem non is erat Ovidius qui unam feminam toto pectore diligeret, sed quia omnes quae formosae erant appetebat, ideo quae de puellis et observavit et notavit multo magis varia et ubera sunt quam quae apud Catullum, et Tibullum, et Propertium legas. Illi enim aut unam feminam aut se ipsos plerumque observaverunt. Inde quoque factum est ut Ovidius ceteris poetis femineae formae curiosiorem sese praestiterit.

Praeterea, quotiescumque fabulas e graeca antiquitate potissimum petitas tractavit, id ita fecit ut ejus carmina non tam antiquitatem redolerent quam antiquis nominibus recentia exprimerent. Quod plane apparet in Heroidum epistulis. Nempe non inventione eminebat Ovidius, sed facultate ea pingendi quae ejus oculis se ultro offerebant. Qua in re licet eum cum Racinio nostro compa-

rare, cujus in tragoediis, ut personae antiquae, sic res admodum recentes sunt.

Denique si res et verba in Ovidii amatoriis carminibus perpendes, hoc, meo quidem judicio. dicere poteris: Verba plerumque trita, e medio sumpta curiosam illam Horatii felicitatem nullo modo imitantur. Satis enim constat Ovidium ingenio magis indulsisse quam ut inter scribendi artifices numeraretur. Valent igitur illa carmina non verbis sed rebus. Res sane quae ibi tractantur non permagni momenti esse fateor; quae legentibus delectationem potius afferunt quam admirationem movent. Sed earum rerum descriptio aliquid sincerum sonat, et Ovidium veri studiosum fuisse testatur. Qui autem vera versibus sincere expressit, is neque tempus neque operam omnino perdidit.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. X Kal. Sept. ann. MDCCCC
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus
A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector
GRÉARD.

INDEX RERUM

LILLE. — IMPRIMERIE LE BIGOT FRÈRES.